

est formaliter, sed necessario, & quatenus habitationem nature sicut §. 5. notabili 3. exposuimus. 173 Ad tertiam probationem, absolute negari potest amorem beatificum esse actionem humanam: quia ut docet D. Thomas supra quest. 3. art. 1. *Ille actio proprie humana accenditur, quantum homo est hominum; & quia ex voluntate deliberata (id est supponebat deliberationem rationis) procedunt: Amor vero voluntatis, ut iam, diximus, nec subditur dominio voluntatis, nec rationis deliberationem supponit: Ergo non est proprie actio humana, sed potius finis omnium actionum humanarum. Vel dici potest, amorem beatificum esse actionem humanam, quoad substantiam operis, non vero quoad modum operandi: quia quamvis sit actio spiritualis quoad suam speciem, subindeque soli substantie intellectuali propria, non procedit tamen ab homine secundum modum agendi illi proprium, qui est agere cum deliberatione rationis, & dominio ac electione voluntatis.*

174 Ad aliud quod addit Vincentius, nempe incredibile esse perfectissimam & splendidissimam operationem intellectus, qualis est visio beatifica, voluntati perfectionem illam eripi qua est libertas, & a culmine mentis, in modum & impetum agendi brutorum deici. Respondetur primo, quod omnino abusive dicitur per visionem beatificam eripi voluntati perfectionem libertatis: licet enim voluntatis libertatem exerceri non finit respectu objecti primarii, quod est divina bonitas secundum se, non tamen libertatem absolute eripit: cum permittat eam exerceri circa objecta secundaria, seu circa divinam bonitatem. ut est ratio diligendi creaturas: immo cum actus necessarii sint fundamentum & origo liberorum, & omnis motus procedat ab aliquo immobili, ut docet D. Thom. 1. p. q. 82. art. 1. immobilis adhaesio Beatorum ad Deum, per amorem beatificum, est fundamentum & origo actuum liberorum, quos circa creaturas mobiliter seu mutabiliter exercent.

175 Secundo dico, quod licet per visionem beatificam auferatur homini libertas in ordine ad objectum primarium, quod est bonitas divina clare visa, non tamen propterea fit deterioris conditio, quam esset in via, ubi libere diligebat Deum per fidem obscure cognitum: quia erapta illi libertate circa objectum primarium, patet ei via ad exercendam aliam perfectionem, seu operationem longe superiorem, nimirum amorem divinae bonitatis omnino necessarium, qui perfectior est amore libero, cum sit magis voluntarius (ut supra Disp. precedenti art. 2. contra Vasy. & Lorcan ostendimus) ac minus habeat de potentialitate & plus de actualitate, sitque omnino immutabilis & indefectibilis.

176 Addo quod amor omnino necessarius, provenit a voluntate ut natura est; liber vero procedit a voluntate ut voluntas est, sicut §. 3. notabili 3. declaravimus: At ceteris paribus perfectior est voluntas ut natura, quam ut voluntas: Ergo & amor necessarius liberum in perfectione excedit. Minor probatur: Spiritus Sanctus procedit a voluntate divina secundum conceptum ejus perfectissimum, quis hoc negat? At procedit a voluntate ut natura est, non tamen ab ea ut voluntas est formaliter; teste D. Thom. quest. 2. de potentia art. 3. in corp. & ad II. Ergo in voluntate conceptus naturae est simpliciter perfectior conceptu voluntatis.

177 Confirmatur: Sicut se habet intelligere sine discursu, ad intelligere cum discursu; ita se habet amare sine libertate, ad amare cum libertate: Sed intelligere sine discursu est absolute perfectius, quam intelligere cum discursu: ut patet in hoc, & in Angelis: Ergo ceteris paribus, etiam amare sine libertate est absolute perfectius, quam amare cum libertate. Ex quo patet beatus, per amorem beatificum, a culmine mentis in modum & impetum agendi brutalem non deici, sed potius a flexibilitate mentis in perpetuam stabilitatem Sanctorum erigi, & ad perfectissimam divini amoris participationem, ac modum operandi nobilissimum elevari.

Neque valet quod ait Vincentius, nimirum agere per modum naturae commune esse brutis, & rebus insensibilibus; agere vero per modum liberi propriam esse creaturae intellectuali, quae per libertatem a brutis discernitur, ac Deo assimilatur. Non valet, inquam, quia (ut supra dicebamus) ex duplici capite oriri potest, quod creatura aliqua per modum naturae operetur, primo ex imperfectione cognitionis, quae rationem finis, seu proportionem finis cum mediis, & mediorem cum fine, nequit attingere; secundo ex summa perfectione cognitionis, quod objecti bonitatem ac meritum clare & distincte praesentat: quamvis autem agere per modum naturae primo modo, fit maxima imperfectio, & conveniat brutis, quae non se movent in finem, sed moventur ab auctore naturae; agere tamen per modum naturae secundo modo, summa perfectio est, soli naturae intellectuali propria, & Deo conveniens in operationibus ad intra. Unde Hilarius, Damascenus, & alii SS. Patres vocant generationem Verbi Divini, *opus naturae*, non quod ab ipsa natura divina immediate procedat, sed quia est ab intellectu ut naturaliter

operante. Et ideo etiam D. Thom. supra citatus docet productionem Spiritus Sancti esse a voluntate, non ut voluntas, sed ut natura est.

Ex his abunde satisfactum patet praecipuis Jansenii & Vincentii Lenis argumentis: unde de illis vere dicam, quod dixit in simili Claudianus Mamerus lib. 1. de statu animae c. 11. *Vide quam parvo negotio veritatis calor frigidum verborum pruina liquefecerit.*

DISPUTATIO III.

De Circumstantiis humanorum actuum.

Ad quaestionem 7. D. Thomae.

Considerata ratione voluntarii & involuntarii, quae pertinet ad essentiam humanorum actuum, agit D. Thom. de quibusdam accidentibus, quae illos quasi vestiunt & circumstant, & ideo circumstantiae appellantur. Nulla autem circa hanc quaestionem sese offert celeberrima controversia; unde in ejus expositione diu non erit immorandus.

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quae sint circumstantiae humanorum actuum?

Dico primo: Circumstantiae esse quasdam accidentia actuum humanorum.

Probatur ratione D. Thom. hic art. 1. Quod est extra essentiam actus, & tamen ipsum aliquo modo attingit, dicitur ipse accidens: Atqui circumstantiae attingunt actum humanum, & sunt extra essentiam ejus: Ergo sunt accidentia ipsius. Major patet, Minorem explicat D. Thom. dicens nomen circumstantiae desumi ex metaphora loci: sicut enim locus est extra essentiam corporis locati, & tamen ipsum attingit aliquo modo ideoque dicitur ipsum ambire & circumferre; ita similiter circumstantiae actus humani debent esse quasdam conditiones extra essentiam actus, ipsum tamen attingentes vel afficietas.

Dices: Vel hujusmodi conditiones intelliguntur esse accidentia respectu actus considerati in esse physico, vel in esse moris? Si primum, omnis moralitas pertinet ad circumstantiam, & nulla erit quae tribuat speciem actui humano in genere virtutis aut vitii, quia comparatione ad esse physicum omnis moralitas accidens est. Si secundum, contra est, quia multae circumstantiae dant speciem essentiali actui in esse moris: nam circumstantia loci mutat speciem ejus moralem, ut homicidium, vel adulterium in loco sacro, constituit sacrilegium; circumstantia etiam persona mutat ejusdem speciem: v. g. si sit cum soluta, est fornicatio, si cum conjugata, adulterium, si cum sanguinea, incestus: Ergo falsum est quod circumstantiae sint accidentia respectu actus humani in esse moris considerati.

Respondet quod circumstantiae, quae in presenti considerantur a Theologis, non sunt circumstantiae & accidentia ipsius actus solum in esse naturae considerati, sed etiam actus ut voluntarii, & humani, seu moralis, ita quod in linea morali, & non solum in linea entitativa, aliquid se habeat per modum essentiae & quidditatis, aliud per modum circumstantiae & accidentis: sicut in furto hoc quod est rapere alienam, se habet per modum essentiae; sed quod bonum alienum sit magnum, vel parvum, quod rapiatur in loco sacro, vel prophano, se habet per modum circumstantiae & accidentis. Unde ad rationem in contrarium dicendum est, quod circumstantiae sunt accidentia conditiones etiam respectu actus moralis, quando minus & officium circumstantiae exercent; si vero non exercent formaliter rationem circumstantiae, sed transeant in conditionem objecti, vel in rationem differentiae contractivae moralitatis, non se habent per modum conditionis accidentalis, actus humani & moralis, sed pertinent ad specificativum essentiali ipsius actus, ut contingit in exemplis adductis.

Dico secundo: Septem tantum esse circumstantias humanorum actuum, haece versus contentas:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quando, Quando.

Probatur primo ratione D. Thom. hic art. 3. Circumstantiae sunt accidentia quae attingunt quoddammodo actum. Sed possunt ipsum attingere tripliciter. Primo afficiendo ipsius substantiam in intrinsece vel extrinsece; & tunc est circumstantia *Quomodo*, vel *Ubi*, vel *Quando*. Secundo ipsum afficiunt ex parte causae, & hoc adhuc tripliciter, sicut potest esse triplex causa, una nempe est causa finalis, & ita est circumstantia *Cur*; altera est efficiens principalis, & ita est circumstantia *Quis*; tertia est causa instrumentalis, & sic fit circumstantia *Quibus auxiliis*. Tertio ipsum actum attingunt ex parte effectus, & tunc est circumstantia *Quid*. Porro nulla alia circumstantia excogitari potest, quae ad istas non reducat:

catur: nam circumstantiae *Quoties*; quae ab aliquibus ponitur, non est proprie circumstantia, sed numerus actuum qui diversam substantiam materialiter facit, unde numerus semper confitendus est in peccatis, ut definit Trid. sess. 14. quamvis circumstantia non fiat semper declaranda: Ergo septem tantum sunt circumstantiae humanorum actuum, praedicto versus contentae.

5 Probatur secundo conclusio, explicando singulas circumstantias in particulari. Circumstantia *Quis*, non substantiam personae quae agit, sed qualitatem conditionemque illi adjunctam significat; ut si sit secularis, vel clericus; conjugatus, vel solutus; voto adstrictus, vel non, persona particularis, vel communis, haec enim omnia aggravant aut minuunt malitiam peccati, vel aliquando mutant speciem. Similiter circumstantia *Quid*, non denotat substantiam ipsius effectus, sed aliquod accidens illi adjunctum: Nam quod aliquis perfunderet aliquem aqua, abluat ipsum, non est circumstantia ablutiois, sed quod abluendo infrigidat vel calefaciat, & facit, vel necat, hoc est circumstantia, inquit D. Thomas hic art. 3. ad 3. Circumstantia *Ubi* exprimit locum in quo fit actio; qui si sit publicus, reddit peccatum publicum & scandalosum; si sacer, facit illud esse sacrilegium, & Deo specialiter injuriosum, quia domum Dei decet sanctitudo. Circumstantia *Quibus auxiliis*, significat instrumenta seu media quibus operans utitur: v. g. si quis utatur auxilio infidelium ad aliquod bellum, sit incantationibus magicis, si peo Demonomum; illa praebent speciem malitiae distinctam. Circumstantia *Cur* designat finem, non intrinsecum & qui se tenet ex parte operis (hic enim pertinet ad essentiam) sed extrinsecum, & ab ipso operante intantum, ut si quis furatur propter adulterium, vel det elemosynam propter vanam gloriam. Circumstantia *Quando*, explicat modum quo actus fit, nempe tarde vel velociter, intense vel remisse; & haec circumstantia communiter non mutat speciem, sed tantum modificat actum. Ultima denique circumstantia, scilicet *Quomodo*, significat tempus, in quo duo considerantur, scilicet qualitas temporis, & quantitas; qualitas ut si sit dies festus, & quis non audiat missam, vel faciat opus servile, quantitas vero, ut si actus multum vel parum duret, si enim sit duntaxat valde notabilis, aggravat notabiliter peccatum, non tamen mutat speciem. De quo infra, cum agemus de bonitate & malitia actuum humanorum.

DISPUTATIO IV.

De Simplici Volitione.

Ad quaestionem 3. Divi Thomae.

Explicatis conditionibus generalibus actuum humanorum, quae sunt ratio voluntarii, ac liberi, & circumstantiae in communi, exponit S. Doctor singulos actus humanos in particulari, incipiendo ab illis qui sunt circa finem, & progrediendo in alios qui versantur circa media. Primum autem voluntatis actus circa finem, appellatur *voluntas* (nomen potentiae illi appropriato, sicut prima principiorum cognitio nuncupatur *intellectus*, vel *simplex volitio*, quia habet obiectum omnino simplex, nempe finem sumptum precise secundum se; cum alii actus perfectiores, vel respiciant finem in ordine ad media, ut intentio; vel media cum respectu ad finem, sicut electio; consentus, & usus, atque ita non habeant obiectum simplex, sed alio modo duplicatum. Licet autem D. Thom. de simplici volitione in hac quaestione principaliter intendat differere, plura tamen admittet de ipsa potentia volitiva, quia exacta hujus notitia ita requirit.

ARTICULUS I.

An obiectum voluntatis, aut simplici volitionis, sit solum bonum, vel indifferens ad bonum & malum?

Licet omnes fere Theologi & Philosophi tamquam generale principium, ab omnibus sapientibus admittunt, recipiant, voluntatem non esse nisi boni, & omnia bonum appetere: sunt tamen aliqui Nominales, qui putant voluntatem posse ferri in malum, sub ratione mali, & ita adequatum ipsius obiectum non esse bonum, sed indifferens ad bonum & malum. Sectus etiam in 1. dist. 1. q. 4. aliter in locis, circa hoc videtur aenepe & dubius, atque non esse sufficienter huicque probatum, quod voluntas non possit edio habere bonum, & velle malum sub ratione mali.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico tamen: Solum bonum, ut abstrahit a vero vel apparente, esse obiectum voluntatis, seu simplici volitionis. *Theol. Genes. Tom. III.*

tionis: unde licet voluntas affecta prosecutionis possit ferri in bonum aliquid apprens, quod revera malum est, non tamen in malum cognitum ut tale.

Probatur primo ex Arist. q. 1. Ethic. c. 1. tamquam fundamentum totius moralis scientiae ponit illud principium: *Bonum est quod omnia appetunt*: Sed illud esset falsum, si voluntas effectu prosecutionis possit ferri in malum, sub ratione mali, & si ejus obiectum esset aliquid abstrahens a bono & malo: Ergo &c.

Confirmatur ex SS. Patribus; Dionysius enim c. 4. de divinis nominibus, docet quod malum esse praeter voluntatem, & quod omnia bonum appetunt, ut refert D. Thom. hic art. 1. in argumento *sed contra*. Et August. in Enchir. cap. 36. sic ait: *Beati esse volumus; & miseri non solum esse volumus, sed neque velle possumus*. Item Boetius 4. de consol. profa 2. *Omnis (inquit) homines, boni pariter ac mali, insidiosa intentione ad bonum pervenire nituntur*.

Respondent Nominales, Aristotelem, & SS. Patres, nomine boni & mali intellexisse idem quod appetibile & odibile.

Sed haec interpretatio absurda est: nam si in hoc sensu Aristoteles & SS. Patres locuti essent, nugatoria esset oratio locutio: cum enim dicunt solum bonum esse appetibile, & solum malum odibile, sensus esset, solum appetibile esse appetibile, & solum odibile esse odibile.

Probatur secundo conclusio: De potentia volitiva, & illius actibus, eo fere modo, proportionem servata, philosophari oportet, quod de intellectiva, & operationibus ejus: Sed obiectum adequatum intellectus est ens ut verum, non vero ens ut abstrahens a vero vel falso: Ergo primum obiectum adequatum voluntatis, subindeque primum operationis illius, erit ens ut bonum, non vero ut abstrahens a bono & malo, seu a convenienti & inconvenienti. Unde sicut intellectus non potest assentiri falso, nisi sub ratione veri; ita nec voluntas potest prosequi malum, nisi sub ratione boni, seu ut vestitum bonitate aliqua, vera, vel apparente.

Probatur tertio conclusio ratione D. Thom. Voluntas, 3 sumpta pro volitione, seu actu volendi, est quidam appetitus rationalis: Sed omnis appetitus tendit in bonum: Ergo & omnis volitio. Major patet. Minor probatur. Appetitus nihil aliud est, quam quaedam appetentis inclinatio in aliquid: Sed nihil inclinatur nisi ad id quod est sibi conveniens, & per consequens bonum: Ergo appetitus non est nisi boni. Haec tamen, subdit S. Doctor, est differentia inter appetitum naturalem, & appetitum rationalem, quod appetitus naturalis semper fertur in verum bonum, ac vere conveniens ipsi appetenti; appetitus autem rationalis non semper fertur in verum bonum, ac vere conveniens ipsi appetenti, sed saepe fertur in bonum tantum apprens, quod est simpliciter malum ac disconveniens appetenti. Cuius differentiae ratio est, quia appetitus naturalis consequitur formam naturalem, quae tendit semper ad suam perfectionem, ac prout ad verum bonum, & vere ipsi conveniens; appetitus autem rationalis consequitur formam apprehensam: constat autem quod aliquid potest apprehendi ut bonum & conveniens, quod in se nec est bonum nec conveniens. Ex qua differentia voluntatur plura argumenta adversa sententiae, quae solum probant voluntatem posse ferri in malum apprehensum sub ratione boni, ut constabit ex dicendis §. sequenti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: Si bonum esset obiectum adequatum 4 voluntatis, ipsa nullum posset habere actum qui versaretur circa malum: Sed hoc est falsum, ut patet in actu nolitionis & fuga: Ergo &c. Sequela probatur: quia nullus actus potentiae potest se extendere extra obiectum adequatum illius.

Respondet: negando sequelam Majoris: nam saepe potentia & habitus operantur per modum recessus & fuga circa contrarium sui objecti, v. g. intellectus respuit falsum, & habitus iustitiae actum iniustitiae, &c. Unde D. Thomas hic art. 1. ad 1. *Voluntas se habet ad bonum & ad malum, sed ad bonum appetendo ipsum, ad malum vero fugiendo illud*. Nec propterea voluntas se extendit extra suum obiectum adequatum, quia quando fugit malum, quoddammodo operatur propter bonum; ex eo enim malum fugit, quia bonum appetit: v. g. ideo quis odit mortem aut aegritudinem, quia amat vitam & sanitatem. Sicut ergo ens dicitur obiectum formatum ad adequatum intellectus, quamvis intellectus possit cognoscere negationes & privationes, quae sunt non entia: est eo quod ille cognoscatur sub ratione entis ex parte modo cognoscendi, & ad illud per se ordinatur, & sicut Deus est obiectum formale adequatum Theologiae, quamvis aliquis actus Theologiae versetur circa creaturas, quia illae non considerantur ut attinguntur a Theologia, nisi in ordine ad Deum: ita quia voluntas, dum per actum nolitionis fugit malum, illud fugit sub ratione alicujus boni, ideo